

2951

C O D I C E S

2952

Hor imperii &c. inscripta est pro Rege, licet superius Sabbato sancto pro Imperatore oratum fuerit.

DCCCXVII.

- ³³ Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 232. f. max. eleganter scriptus et coloribus exornatus continet *Missale Dioeceseos Brixinensis* in Tyroli, id, quod

colligitur cum ex praefixo *Calendario*, in quo Nonis Febr. dies festus SS. *Ingenuini et Albuini*, Prid. kal. Augusti *Dedicatio in Brixina*, atque Idib. Aug. dies festus S. *Cassiani Episcopi et Martyris* miniatis literis consignantur, tum ex *Missis propriis Sanctorum*, in quibus extat *Missae de SS. Ingenuino et Albuino fol. 157. cum sequentia*, cujus hoc est initium:

*Innouentur hac in die
Soni dulces symphonie
Ad festiua gaudia
Et in laudem confessorum
Vox erumpat leta quorum
Subest nunc memoria &c.*

Missae item de S. Cassiano fol. 178. pariter cum sequentia hujus principii:

*Gloriosa fulget dies exultet ecclesia
Hominibus pax et leticia
Immortali translatus emicat memoria
Cassianus martir nostra spes et gloria &c.*

Missae demum horum SS. simul fol. 217. cujus sequentia sic oritur:

*Exultet polus hijs pollens sideribus
Applaudat tellus cunctis cum fidelibus
Et tu brixina felix ex gratia multifaria &c.*

Ante canonem visitur Christi imago tribus tantum clavis cruci suffixi. In ipso canone fit oratio etiam pro Rege. Ad calcem Codicis adscripta est *Benedictio (vini) amore sancti Iohannis apostoli et ewangeliste.*

DCCCXVIII.

Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 330. 4. per duas columnas exaratus, literis initiorum laborioso artificio coloratis, deauratisque, et eleganti picturarum varietate decorus, Liber *Missae*

2953

LITURGICI.

2954

Missalis est Ecclesiae Pragensis, cujus fata e folio praevio dabo. Anno domini millesimo quadringentesimo nono Missale hoc per Sbynconem Archiepiscopum ecclesie pragen. de domo dominorum Baronum de Hasze prout insignia commonstrant in margine eiusdem (foll. 11. et 307.) depicta ipsius patrimonio comparatum extitit, quo defuncto (a. 1411. ut infra) ad dominos de Hasze patruos siue genealogiam iure successionis et in vim legati et donacionis &c. inter vivos deuolutum, hincque domino Jodoco de Rofs episcopo wratistauien. dignissimo (mort. 1447.) diui recordij per dominum Vlricum de Hasz baronem suo et sui germani domini Johannis de Hassenberg nominibus et auctoritate speciali amicitia nec non et potissime in refusionem aliqualem expensarum et grauaminum per eundem dominum Vlricum cum non parua sua familia in castris et dominijs ecclesie siue aliquamdiu factarum donatum post cuius mortem se dominus Rudolphus presul et successor (quartus a Conrado) de eodem tanquam relicto intromisit qui cum ipse dominus de Hasz illud repetere et evincere conaretur sibi velut immemori prioris donacionis licet non gratuite nec ob ingratitude revocate quinquaginta aureos superaddidit et pagauit. qui quidem pontifex cum in aliquot centenis quasi obnoxius domino Nicolao Mokewitz Canonico ecclesie wratistauien. et Cancellario quemadmodum in quadam litera episcopali sigillo appenden. corroborata apparet, in

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

vim aliquantis per solucionis refusionis et memorialis tandem anno domini MCCCCLXIX die decima mensis Maij in curia episcopali solite habitacionis eidem domino Mokewitz dono dedit atque donauit eue (in aevum) permanfurum. Addit alia manus priori coeua: Item Anno domini MCCCCXI mortuus est Reuerendissimus in christo pater et dominus Dominus Sbynko Archiepiscopus pragen. in posonio alias presburgk in exilio hora noctis tercia que nox fuit media inter diem S. wenzeslai et Mich. et in die S. Gereonis ac sociorum eius translatus de Vngaria in Boh. Sepultusque est in Capella Generosorum dominorum de Hazymburgk et kost in ecclesia pragensi in sepulcro marmoreo ut patet intuenti. Electus quoque erat ac confirmatus in Archiepiscopum Anno domini MCCCCII. Sunt in posteriore hac Narratione, quae cum Hagecio, Lupacio, Balbino et aliis Historicis Bobemiae non consonant. Sed de Fatis Missalis nostri restant, quae Codicis pag. ult. leguntur: Hoc Missale mihi donatum est ab Illustri Domina Domina Lucia Otilia Slawatin de et in Noua domo ac Telcz &c. cui et ego aliud pulchrum Missale Romanum dono dedi. Pragæ die S. Gregorii Papæ 12. die Martij. Anno Domini 1612. Jaroslav Borfita Baro a Martinitz m. p. Iam ipsam ejus Ομορομιαν videamus. Praeit Kalendarium, in quo IV. Non. Mart. Translatio S. Wenceslai, VII. Id. Cyrillus et Methudius, IX. kal. Maji Adalbertus,

F f

2955

C O D I C E S

2956

tus, VI. Non. *Sigismundus*, XVII. kal. Jul. *Vitus*, IV. Non. *Procopius*, XVI. kal. Oct. *Passio Ludmilae*, IV. kal. *Wenceslaus*, IV. Id. Nov. *Translatio Ludmilae* rubro notantur. Succedit Praeparatio ad Missam. Sequuntur *Missae de Tempore* ab *Adventu* usque ad *Festum Corporis Domini*, quarum, quae de praecipuis Mysteriis sunt, initia venustis picturis ἀναλογίαι decorantur. Ad *Festum Trinitatis* in margine notatur minio: *Alcuinus magister Karoli magni fecit hoc officium*. In *Festo Corp. Dom.* *Judam* crine rubrum loculi produnt. Postea *Incipit ordo qualiter preparet se sacerdos ad missam*, et deinceps *Praefationes* per annum eleganter notis musicis insignitae. *Canon* splendidam prae-

fert imaginem Servatoris tribus clavis cruce suffixi in medio latronum, adstante Suorum numero et hostium, quos inter quidam dextrum pendentis latus confodit. Tum reliquae per annum *Missae*. Fol. 196. p. 2. *Incipiunt festa de sanctis Per circulum anni*, et quidem a *Missae de S. Barbara*, quae, cum aliis majoris notae, aequae in litera initiali picturam exhibet, quod miror in *Missis Tutelarium Bobemiae* neglectum esse. Ad *Missam B. Agnetis* notatur: *Ab hac die usque in octavam beate agne nichil impediatur commemoracionem eius in missa*. Finem imponit *Collectio* inscripta: *Incipiunt Sequentie per circulum anni et Primo In matutina (Natalis Domini) missa*.

Grates nunc omnes reddamus domino deo &c.

Litera G. depictum exhibet habitu Pontificio *Sbynconem* genuflexum adjecto, ut jam supra dictum, Scuto gentis *Hazmburgicae*. *Sequentiae* magnam partem *Notkeriana* sunt, ut extant in *Pezii Thes. Anecd.* T. I. p. 15. Multae vero aliae, ut de SS. *Bobemiae* Indigetibus, incertorum *Autorum*. Mixti etiam *Hymni* notiores.

DCCCXIX.

146 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 30. f. Character luculento scriptus et miniatus est *Liber Missalis* ad quandam Familiam religiosam olim

pertinens, incipitque ab *Elencho XXIII. Missarum*, quas continebat, hac rubrica: *In isto libro continentur subscripta officia*. Aderat tamen etiam hic *Exorcismus*, *Gloria in Excelsis*, *Credo in unum*, *Praefationes* et *Canon*, quae tamen omnia a principio amputata sunt usque ad illa verba: *bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et prestas nobis &c.* Post *Missas* ad calcem habetur *Formula* sic dictae *Abolutionis generalis a peccatis* sic rubro inscripta: *absolutio ordini nostro concessa. ab urbano papa*. *Urbanus* hic in ipsa *Formula sextus* dicitur; sed neque in ejus *Vita* apud *Ciaconium*, nec in *Bullario Romano* legere est,